



4975, 15.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN

FACTA DELEGATIONE
INDEBITI CONDICTIONI
LOCVS DARI POSSIT

P. 92.

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISVVRGENS.

SOCIO

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE IX MAII ANNO MDCCCLXXV.

DEFENDET

CHRISTIANVS ADOLPHVS BARTHOLDVS

MVSCHWIZENS MISNIC.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA



50


Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.





AN
FACTA DELEGATIONE
CONDICTIONI INDEBITI
LOCVS DARI POSSIT

§. I.

 Satis nota sunt, quae iura de nouatione atque delegatione statuunt. *Nouationem* dicunt, quoties obligatio valida existens huius tollendi animo in nouam transfunditur. Duplici ratione fieri id potest; aut enim debitum nouatur eodem debitore atque creditore manente, aut nouo intercedente debitore, qui prioris debitum in se recipit. Posteriores modum delegationem dicunt. Cum in nouatione simplici aequae atque in delegatione animus adesse debet obligationis prioris soluendae, sic, ut vel ab antiqua debitor liberetur nouam contrahendo, vel plane
A 2 libere-



liberetur, cum alius succedat in eius locum debitor; mirum non videtur, si vel nouationem, vel delegationem inter modos ipso iure tollendi obligationem referamus, neque minores effectus tribuamus, quam quae solutioni tribui solent.

§. II.

Non opus, ubi de delegatione dicturi quaedam simus, vt multa de cessione vel assignatione referamus, quippe cessione vel assignatio nunquam requirit debitoris, contra quem cessione fit, consensum; sed sufficit cedentem atque cessionarium consentire, et valida erit cessione. Hinc *cessus*, quas habet exceptiones, sibi saluas habet, semperque cessionario valide opponit, perinde ac si ipse cedens contra eum ageret. Contra in delegatione consensus debitoris delegati requiritur. Inde, si quam contra delegantem habebat exceptionem, eandem delegatario opponere nequit. Quare PAVLVS in *L. 12. §. de nouat. et deleg.* scribit. *Si quis delegauerit debitorem, qui doli mali exceptione tueri se posse sciebat: Similis videbitur ei, qui donat: quoniam remittere exceptionem videtur.* Porro delegatione recte facta, statim liberatur delegans, vt ipsa actio, quam ante delegationem delegatarius instituere potuisset, ipso iure cesset. Neque delegatus a delegante amplius conueniri poterit, quippe delegatarii factus est debitor.

§. III.

His positis iam ad propositam quaestionem veniamus. Duplex est, quae dari potest species. Aut delegatio fit, ita vt delegans erret, neque quidquam delegario debeat; aut ipse delegatus deleganti nihil debet, at per errorem consentit in delegationem. Vtramque speciem exponamus.

§. IV.



§. IV.

Posterior species haec esto: Caius Titio debebat ex mutuo ducenta, neque dubitandum, hanc validam esse obligationem, vt nulla plane exceptione, si Titius agat, Caius se ab instituta actione liberare possit. Contra Caius debitorem habet Sempronium, at qui verus debitor non est, sed qui per errorem facti se debere credit, qui ergo recte conueniri non poterat, et si soluerat, id quod datum erat, conditione indebiti repetebat. Caius itaque a Titio interpellatus, cum creditore suo conuenit, vt suum debitorem Sempronium, quem verum habet, in suum locum recipiat. Consentit Sempronius atque promittit, se ducenta iusto tempore Titio soluturum. Liberatur itaque Caius delegatione facta. Postea solutionem vrget a Sempronio Titius. Quaesitum est: an Sempronius, qui depulso errore, se nihil Cajo debere expertus est, possit se exceptione tueri. *VLPIANVS* in *L. 13. π. de nou. et delegat.* hanc decidit causam. Ait: *Si non debitorem, quasi debitorem delegaero creditori meo: exceptio locum non habebit.* Causam, cur exceptionibus suis amplius se delegatus tueri nequeat, exhibet *PAVLVS* in *L. 19. eod.* Ideo, inquit, *denegantur exceptiones aduersus secundum creditorem, quia in priuatis contractibus et pactionibus non facile scire petitor potest: quid inter eum, qui delegatus est, et debitorem actum est: aut etiam, si sciat, dissimulare debet, ne curiosus videatur, et ideo merito denegandum est aduersus eum exceptionem ex persona debitoris.*

§. V.

At quomodo Sempronio erit succurrendum, cum iura eidem negant, vt se exceptione tueri possit. Dedimus enim, vt non debitor fuisset, cum in delegationem consensisset.



fisset. Prospexit eidem *VLPIANVS in cit. l. 13. Sed*, inquit, *condictio adversus eum, qui delegavit, competit.* Recte itaque contra Caium delegantem ager indebiti conditione, ut quod in eius vicem soluerat, restitueret. Cum enim verus Caii debitor non existeret, delegari non potuisset. Neque error, ex quo se debitorem putavit, facere potest, ut verus debitor existat, et quamvis nova illa creditori sui putativi creditoris data promissio validissime obliget eundem ad solvendum, tamen vere non obligatur ei, pro quo solvere ex errore promiserat.

§. VI.

Iam ad priorem speciem veniamus. Titius habet debitorem Caium, qui se putat obligatum forsitan ex testatoris sui chyrographo tanquam heres. Huic Caio vere debet Maeuius totidem, quod debere se credit Caius Titio. Cum utriusque et Caius et Titius in errore versentur iusto, Titius a Caio, ut debitum solvat, postulat. Caius errans itaque convenit cum suo creditore, ut in sui locum debitorem accipiat Maeuium, qui sibi totidem debeat. Maeuius, cui perinde est, utrum Caio, an Titio solvat, cum scit, se vere ad solvendum esse obligatum, patitur se delegari Titioque promittit, iusto tempore se soluturum. Nihil itaque se amplius debere sibi persuadet Caius, qui, nisi errasset nihil debuisset, neque unquam per delegationem se liberasset. Sit vero, ut ex promisso Maeuius delegatus solvat. Postea Caius experitur testatorem suum, cuius heres extitit, et per quam hereditatem se Titio obligatum falso putaverat, eidem Titio nihil debuisse, sed illud debitum diutius ante mortem fuisse expunctum. Indebite ergo delegaverat suum debitorem. Iam videamus, an condici indebitum possit.

§. VII.



§. VII.

Maeius delegatus soluit quidem, sed an dicamus eundem indebite soluisse? Ego quidem grauter nego; nam neque indebitum erat, quod soluerat respectu Titii delegatarii quippe huic erat obligatus ex promisso, ut adeo ne exceptione quidem contra eundem tueri posset, quae tutum reddidisset a suo creditore. Neque erat indebitum respectu Caii, cui, ut dedimus supra, vere debebat. Facile ergo patet, hunc indebiti conditione datum repetere non posse. Et concludimus, si ne indebitum repetere quidem poterat delegatus, solutione delegatario facta, multo minus condicere poterit, si verum sit debitum. Neque opus, ut repetatur. Delegatione enim facta, liberatur a suo creditore, qui solutione etiam facta delegatario, nihil ab eodem amplius petere potest, neque contra eundem actione instituta experiri. Liberatur enim a suo creditore delegatione facta, sicuti delegans a suo delegatario liberatur.

§. VIII.

At indebite solum erat respectu delegantis, hic enim delegatario nihil debebat. Equidem ipse delegans non soluit, sed alium debitorem substituit, qui sua promissione postea teneatur, ut minus apta conditio indebiti soluti videatur, cum nihil solum sit. Expresse enim POMPONIVS in *L. 7. π. de cond. indeb.* scribit: *Quod indebitum per errorem SOLVITVR, aut ipsum, aut tantundem repetitur.* Sed haec me non mouent, ut deleganti negem indebiti conditionem contra delegatarium, cui a delegato solum erat. Nam ipse PAPIANVS in *L. 54. π. de indeb. cond.* adfirmat: *ex his omnibus causis, quae iure non valuerunt, vel non habuerunt effectum, secuta per errorem solutione, conditioni locum fore.* Non vero valebat delegatio



legatio cum nihil deberet delegans; recte ergo locus erit conditioni, si solutio postea secuta: perinde enim est, an ipse, an alius soluerit eius nomine, teste MARCIANO in *L. 40. π. de Solut. et liber.* Prouoco amplius ad autoritatem ipsius PAPINIANI, qui causam conditionis exhibet in *L. 66. π. de condit. indeb.* *Hæc, inquit, conditio ex bono et æquo introducta, quod alterius apud alterum sine causa deprehenditur, reuocare consuevit.* Applices hoc ad nostram velim speciem. Deprehenditur sine causa, cum indebitum esset, apud Titium, quod Caii erat, huic enim vere Maeuius debebat, neque delegasset Caius, nisi per errorem se debitorem putasset. Quapropter nullum superest mihi dubium, non quidem a delegato, sed ab ipso delegante, si delegatus soluerit, indebiti conditione instituta reuocari posse, quod delegatario solutum fuerat.



Leipzig, Diss., 1775 A17

ULB Halle

3


003 719 030



SB

AD 18





QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI

AN

FACTA DELEGATIONE
INDEBITI CONDICTIONI

LOCVS DARI POSSIT

QVAM

P. 92.
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISVURGENS.

SOCIO

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE IX MAII ANNO MDCCCLXXV.

DEFENDET

CHRISTIANVS ADOLPHVS BARTHOLDVS

MVSCHWIZENS MISNIC.

LIPSI AE

EX OFFICINA LANGENHEMIA

